Toletana Decimarum, quoad Tenutam de Perobequez, & Vrtada.

Reu. Pater. IN secundo loco decisis rescribendum omnino speramus quia non solum super dd. Tenutis habemus consuetudinem immemorabilem ex Testibus probatam vsque de anno 1641. sed etiam iterum comprobatam ex Testibus examinatis anno 1702., sed quod magis est quoad Tenutam de Perobequez habemus declaratam totalem d. Tenutæ exemptionem anno 1378. cum enim in actu quo concessa fuit licentia per Archiepiscopum, & Capitulum edificandi nostrorum Monasterium mediante Regis interpositione fuit dicta licentia data ea lege, & condictione vt moniales in dicto Monasterio esse deberent exemptæ a solutione decimarum ex fructibus tot bonorum quæ ascenderent ad valorem 25. mil. merapetinorũ monetę tunc currenti, vt ex *nostro secundo Summario additionali num.* 1. *litt.* KK., *&* *litt. LL.* subinde vero post constructum Monasterium cui Dos à fundatrice fuit assignata, fuerunt æstimata bona, qua Monasterium tunc possidebat, & fuit astimata toto hæreditas quæ fuit data in dotem d. Monasterio in Perobequez, & suis terminis *d. Summ. additionale n.* 2. *litt. M.* illudque fuit estimatũ duodecim 22. mil. merapetinis, & exemptum à solutione decimarum *dicto nostro Summario additionalę num.* 2. *litt. P.*, & proindę cum habeamus specificam exemptionem totius d. Tenimenti. vtique non indigemus alia adminiculo, ad hoc vt illud declaretur exemptum prout fuit declaratum in nouissima decisione Reuerendissimi Cerri pro cuius confirmatione supplicamus.

Indubitanter quia præfatus Titulus exemptionis fuit compulsatus à Parte aduersa èx originali concessione quæ conseruatur in Archiuio Monasterij, & ab eadem Parte productus, & proinde eo magis plenam constituit probationem.

Attenta præsertim subsequuta obseruantia iuxta quam semper d. Tenimentum fuit exemptum a solutione decimarum proùt de immemorabili deposuerunt Testes examinati vsque de anno 1641. cum omnibus super requisitis, & comprobarunt Testes examinati anno 1702., *vt ex Summario additionali num.* 2. *&* 3., *& seqq.* vnde stante immemorabili obseruantia d. exemptionis quinimò probata illius obseruantia per Testes de visu vlt[illegible] & longe vltra centũ annos coniungendo depositiones Testium examinatorum anno 1641. cum Testibus examinatis anno 1702. hæc tam diuturna obseruantia non solum præbet Principalibus facultatem allegandi meliorem Titu-

lum de mundo, sed etiam inducit validissimam præsumptionem, quod d. Priuilegium fuit Apostolica confirmatione roboratum ex deductis in nostris informationibus.

Non obstat quod obseruantia non est vniformis titulo; attento quod licet Moniales fuerunt in quasi possessione non soluendi decimas ex d. Tenimento de Perobequez ex fructibus illius partis qua proprijs expensis coluerunt nihilominus Moniales non fuerunt exemptę quoad alias partes d. Tenimenti quas locarunt ex quo conductores soluerunt decimas Archiepiscopo Toletano proùt dd. Testes deposuerunt tàm anno 1641. quàm anno 1702.

Etenim cum versemur in Priuilegio personali Monialibus d. Conuentus concessa vt ex secundo *Summario nostro additionali n. 1. litt. II. & KK.* ibi = *che le Monache Religiose del d. Monastero &c.* & inferius = *e che non paghino decime di quelle Possessioni &c. quali possessioni hanno da essere della quantità, e valore di 25. mil. moranidis*, inde sequitur quod cum d. Priuilegium sit personale tanquam concessum monialibus illud extendi nequit ad colonos, & conductores Monialium vt rectè probat *Gloss. in Clementina prima verb.* excolendas circa finem ibi = *Sed nunquid coloni partiales rem exemptorũ priuilegiatorum simpliciter super decimis non soluendis tenentur ad decimas, puto ponderanda verba Priuilegiorum, quæ si eximunt Terras ipsorum ab hoc onere, Coloni colentes illas Priuilegio participant si vero eximunt Personas, tunc licet illi de sua parte non soluant Coloni non exempti de sua soluent*, & communiter scribentes super d. *Glossa, ibique Barbos. num. 4.* ibi = *Notatur ad hoc quod quandocumque Priuilegium conceditur alicui Religiosorum ordini, vt sit immunis, & liber à decima soluenda, si sit personale, non se extendit ad Conductores Prædiorum Azor. Instit. Moral. part. 1. lib. 7. cap. 37. quæst. 7., Panormit. in cap. Ex parte num. 5. de Decimis, & idem Barbos. in cap. Licet num. 2. de decim., Rota decis. 23. part. 2. diuers., Rot. coram decis. 937. num. 1. 2., & per totam*, quoties enim Priuilegium exemptiuum à solutione Decimarum est personale, & directum Regularibus, tunc illis non suffragatur quoties Religiosi exempti Bona exempta locant quia tunc conductores tenentur ad solutionem Decimarum illi, cui de Iure decimæ debentur, ad hoc enim vt Priuilegium personale personis concessum extendatur ad conductores opportet, vt in Priuilegio dicatur *eximimus tales Religiosos à Decimis soluendis de suis Prædijs siue per se, siue per alios colant, Suarez lib. 1. cap. 19. n. 14.*, & proindè cum semper Moniales fuerunt exemptæ à solutione Decimarum ex fructibus Tenutæ de Perobeques, & Vrtada, quam proprijs sumptibus colebant siue magnam siue paruam quantitatem colerent, & quoties in dicta Tenuta inducebant Greges proprias ad pascendam ex illis Decimam non persoluebant si verò locabant Pascua, tunc Conductores Pascuorum Decimam soluebant

ex

ex fetibus Animalium, vt ex Testibus examinatis Anno 1641., *Summario Principali num.* 1., & 2., sic quoque Conductores Partis d. Tenutæ pariter Decimam soluebant ex subsequuta tot Annorum obseruantia, magis qualificat, quod concessio exemptionis facta Monialibus nostri Monasterij fuerit personalis, & non realis, & proindè de illa partecipare non poterant Conductores d. Tenutæ, vt probant authoritates superiùs adductæ.

Ad hoc enim vt Conductores d. Tenutæ non tenerentur soluere Decimas Archiepiscopo, sed illa soluere Monialibus, vel probare opporteret, quod exemptio Monialibus concessa fuerit Realis, vel quod Monialibus concessum fuisset specificum Priuilegium, vt ex Territorijs locatis posset Monasterium Decimam exigere, vt supra probaui.

Hinc non obstat principale fundamentum Partis Aduersæ, quod scilicèt cum Monasterium prætendat in dicta Tenuta de Perobequez, præscripsisse Decimas contra Archiepiscopum ex illa parte bonorum quam proprijs expensis colit tenetur probare quantitatem specificam, quam semper coluit spatio 40. annorum, & illa quantitas, quàm probauerit semper, & continuatim proprijs expensis coluisse prætendere poterit prò illa parte exemptionem à solutione Decimarum, quia tantum præscriptum quantum possessum, & proindè cum Testes examinati, tàm anno 1641., quàm Testes examinati anno 1702. non specificent, & declarent in quà parte d. Tenimenti proprijs expensis Moniales illud coluerit, cum d. Tenimentum plures in se contineat possessiones sub diuersis vocabulis, idcircò d. probatio tanquam incerta suffragari non potest nostro Monasterio.

Etenim vt probauit Dominus meus Aduocatus in sua Iuris allegatione super dubio septem Tenimentorum non est necessaria ista specifica probatio, sed sufficit dicta Causa vniuersalis d. exemptionis, quæ consistit in cultura proprijs expensis, & ratio est quià quemadmodum si concedatur regularibus Priuilegium non soluendi Decimas ex fructibus bonorum, quæ proprijs expensis coluerint, tum cum dicta Decima sit personalis non transit ad Conductores, & Arrendatarios bonorum, quo Decimatori vniuersali Decimas soluere tenentur ad *Text. expres. in cap. Licèt de benignitate de Decimis*, & quemadmodum dd. Religiosi si per plures annos sua bona locauerint si postmodum assumant eorumdem bonorum culturam erunt exempti, & semper exemptio eis suffragatur quoad illa dumtaxàt bona, quæ proprijs expensis coluerint ita etiam operari debet priuilegium præsumptum inductum ex immemorabili, vel centenaria quasi possessione cum enim Moniales per tempus immemorabile Decimas non soluerunt ex fructibus Tenutæ de Perobequez ex ea parte, quæ culta fuit proprijs sumptibus, & expensis, vtique ista causa vniuersalis culturæ proprijs expensis sufficere de-

beat prò inducenda præsumptione Priuilegij sufficit enim probare Monialibus, quod ex quacumque parte d. Tenutæ, quam proprijs expensis coluerunt Decima non fuit soluta, ad hoc vt inducatur Priuilegium præsumptum concessum d. Monasterio non soluendi Decimam ex fructibus bonorum d. Tenutæ, quæ proprijs expensis coluerunt.

Sed cessat in hypothesi omnis vmbra difficultatis, quià totum Tenimentum de Perobequez spectans ad Moniales nostri Monasterij fuit declaratum exemptum à solutione Decimarum, vt ex *nostro secundo Summario additionali Num. 2. litt. M., & litt. P.* cùm autem exemptio concessa per Episcopum, & Capitulum fuerit personalis prò Bonis à Monasterio possidendis in certa quantitate, vtique dicta exemptione gaudere, non poterant Moniales nisi proprijs expensis dictam Tenutam colerent, & proindè cùm tota Tenuta declarata fuerit exempta, quemadmodùm possunt Moniales integram Tenutam colere, ità colere possunt partem illius ad beneplacitum, & ex illa parte, quam proprijs expensis coluerint, non tenentur Decimam persoluere, & si totam proprijs expensis colant ex fructibus totius dictę Tenutæ non tenentur Decimas persoluere, quià tota Tenuta valutata in 12. mil. merapetinis fuerit declarata exempta, ideò totam proprijs expensis colere possunt, & ex illa Decimam non persoluere; Quocircà si Moniales partem dictę Tenutæ coluerint, & partem locaueriut, hoc nihìl facit ad rem, quià tota Tenuta est exempta, & potest qaamlibet partem dictę Tenutæ proprijs expensis colere, quià tota fuit declarata exempta, quemadmodùm si concedatur Monacis alicuius Monasterij exemptio personalis, quæ non extenditur ad Conductores, tùnc si illi aliquas Tenutas colant proprijs expensis aliàs verò locant, licèt Conductores toto tempore quo locata fuerunt Bona, soluta fuit Decima, ex quo dicta exemptio ad Colonos, & Affictuarios non extenditur, si postmodùm Monaci possessiones, quas locare consueuerunt, colere incipiant proprijs sumptibus, tùm indubitatum est, quod gaudere debeant exemptione personali ipsis concessa à solutione Decimarum, & propterea cùm in casu nostro tota Tenuta de Perobequez cum omnibus suis terminis fuit declarata exempta, vtique quæcumque pars, quæ culta fuit expensis Monasterij, vel inposterùm coletur, semper erit exempta à Decimarum solutione, & ità fuit semper obseruatum, & intellectum dictum Priuilegium in limine fundationis concessum, quod scilicèt semper Moniales fuerunt exemptæ à solutione Decimarum prò illa parte Tenutæ de Perobequez, quam proprijs sumptibus coluerunt. Non enim quoad hanc Tenutam exemptam indigemus præscriptione, sed probatione solius obseruantiæ, quæ plenè resultat ex Testibus.

Hinc cessant nullitates obiectę aduersùs Processum anni 1641. ex nostra parte productum, de quibus nulla est habenda ratio, cùm enim

Pars

Pars aduersa vigore Literarum Compulsorialium compulsauerit integrum Processum actitatum ab anno 1639. vsque ad 1641., vt ex *secundo Summario additionali Num.1. litt.B.C.& D., & litt.H.* vtique Pars aduersa dictum Processum compulsatum integraliter, & sinè vlla diminutione debebat illum producere, quia ex eo corruerent ass. nullitates propositæ, & nullo alio fine, & nulla alia de causa productus non fuit dictus Processus Compulsorialis, ex quo Pars agnouit ex illius lectura tolli ass. nullitates, quæ contra illum productum non integralitèr à nostra Parte proponuntur.

Prima nullitas proponitur, ex quo illud exemplatum fuit pendente lite in hoc Supremo Auditorio sinè Literis Compulsorialibus, cui respondemus, quod licèt regula sit, vt lite pendente non possit transumptari Scriptura sinè Literis Compulsorialibus hoc fallit quotiès extrahatur à successore in Officio, tùnc enim plenè probat etiàm sinè Compulsoria, vt probaui in mea facti *num.12.*, in hoc casu controuersus Processus compilatus fuit in Curia Archiepiscopali Toletana conseruatur per Cancellarium successorem in Archiuio Curiæ Archiepiscopalis, & fuit citata Parte exemplatus à Cancellario successore in dicto Officio, & proindè plenam constituit probationem non obstante, quod fuerit exemplatus sinè Literis Compulsorialibus, vt indiuidualitèr probant Authoritates adductæ in nostra facti.

Prætendit Pars aduersa dd. Testes fuisse nulliter examinatos ex quo Ordinarius concessit facultatem examinandi Testes sub die 2. Iunij 1641., & nihilominus Testes fuerunt examinati die 27. Iunij anni 1641. quia facilis est Responsio nam in d. Processu actus Registrantur ordinatim vnus post alium, & primo legitur commissio data Not. vt Testes examinaret *Summario nostro Principali num.1. litt. P.*, & deinde conscribitur examen Testium factum à Notario Delegato ab eodem Not. Delegato vigore dictæ delegationis vnde patet irrepsisse error exemplantis in data Delegationis, quæ debebat esse die 20. Iunij 1641.

Alius enim est ab omni verisimilitudine alienum quod Notarius Delegatus antequam illi examen delegaretur voluisset Testes examinare, & ante delegationem se conferre ad locum d. Perobequez pro Testium examine, vt de se patet.

Non obstat alia nullitas quod scilicet Testes fuerunt examinati post terminum assignatum, nam si verum est quod est verissimus, quod Petrus Tolarte Notarius qui fuit à Iudice Subdelegatus die 20. Iunij 1641., vtique in tempore Testes examinauit intra terminum illi præfixum ad faciendum examen.

Indubitanter quia istæ nullitates, nimis serotinè allegantur cum d. anno 1641. d.Probationes fuerunt Partibus communicatæ, & ab vtraque Parte allegatum, & probationes habitæ pro legittimis vt liquet ex *Summario nostro Principali num.2.* ibi = *& essendosi data copia di*

pro-

proue alle Parti, fù da esse allegato, e ben prouato quo circa si tum ex vtraque Parte fuit allegatum, & probationes habitæ pro validationis, & iuxta dd. probationes, & Testium depositiones interpositum Decretum *d. Summario Principali num.2.* vtique non licet amplius huiusmodi nullitates allegare, & hoc est ratio propter quam Pars aduersa quæ compulsauit integraliter d. Processum cum omnibus allegationibus, & omnibus Decretis, & terminis, vt ex *secundo nostro Summario a dd. num.1. litt.B. D., & litt. H.* d. Processum integraliter conpulsatum non produxit, quia ex lectura illius cessabant propositæ, & mendicatæ nullitates.

Non obstat, quod dictis Testibus examinatis anno 1641. nulla fides sit adhibenda, non solum quia, Testes examinati in possessorio non probant in petitorio, tum etiam quia tunc suspensum fuit possessorium, & sic Iudex non habebat Iurisdictionem in petitorio.

Quoad primum enim respondetur quod Testes examinati in Iudice Summariissimo quoties fuerunt examinati citata Parte super articulis tunc plene probant in Iudicio plenario, & conclusio procedit quotiès Testes fuerunt Summariè examinati, & sine Partis citatione, vt plenè probat *Posth.de manuten. exaduerso allegat., observ.39.* per totam, & probat nostra fauorabilis Decisio §. *Quin refricari valeat* non obstante quod fuerit suspensum petitorium, quia vt ex lectura authoritatum exaduerso adductarum locum habent quoties fuit admissa per Iudicem suspensio petitorij, & quoties Testes sint inducti ad effectum probandi nudum factum possessionis, secus est in casu nostro quo Moniales articularunt consuetudinem immemorabilem, & isti articuli fuerunt citata Parte per Iudicem admissi hoc enim casu dd.Testes plene probant ex quo fuerunt inducti ad probandam immemorabilem, & Pars aduersa probationi immemorabilis non se opposuit, & articuli super immemorabili fuerunt à Iudice citata parte admissi, in quibus circumstantiis non procedunt authoritates exaduerso transcriptæ præsertim quia nunc stante titulo producto ab aduersa Parte non indigemus rigorosa probatione præscriptionis sed nuda, & simplici probatione obseruantiæ d. priuilegij exaduerso producti.

Minus obstat quod nostri Testes non deponant de immemorabili, vel quod saltem non specificant quam partem Tenutæ Moniales corrueuerunt propriis expensis colere, vt dici possit probata consuetudo in specie, & super certa parte d. Prædij, nam quod plures ex omnis Testibus specifice deponant cum requisitis immemorabilis plene probaui in mea facti transcribendo illorum depositionæ quæ magis corroborata remanent ex continuata quasi possessione non soluendi Decimam ex fructibus d.Tenutæ in ea parte quam propriis expensis Moniales coluerunt, vt probant Testes examinati anno 1702., & propterea concurrit etiam quasi possessio vltra centenariam

nam ita vt etiamsi deficeret aliquod requisitum consuetudinis immemorabilis non ostaret ex quo Moniales quoad Tenutam de Perobequez, & Vrtada saltem habent quasi possessionem vltra centenariam quæ sola sufficit cum habere eamdem, & maiorem efficaciam quam ipse Immemorabilis vt probari in mea facti.

Altera pars obiecti non habet subsistentiam, quia cum tota Tenuta de Perobequez, & Vrtada vsque de anno 1378. fuit declarata exempta, vtique possunt Moniales, vel totam Tenutam proprijs expensis colere, vel partem illius, & totum id, quod proprijs expensis colunt debet esse exemptum à solutione Decimarum, cum vt supra probauimus d. exemptio concessa ab Archiepiscopo, & Capitulo sit personalis tanquam concessa Monialibus, & proinde dicta exemptio non se extendit ad Conductores, vt supra probauimus, sed solum Moniales gaudere debent exemptione, vel in totum, vel pro parte quo d. Tenutam colunt.

Denique non obstat imò retorquetur nouissimum obiectum Partis, quod scilicet controuersæ Tenutæ de Perobequez, & Vrtada Era 1412. erant Decimatoriæ fauore Archiepiscopi ex quo dicta Tenuta ad Monasterium peruenit ex persona Monialis tamquam hæredis D. Mariæ Fernandez, *vt ex Summario Additionali Partis Aduersæ num. 2. lit. B.*, & proindè cum constat de principio acquisitionis cessat immemorabilis.

Etenim cum dicta Tenuta statim hac fuit Monialibus acquisita fuit æstimata in 12. mil. Merupetinis, & declarata exempta, *vt ex Summario Additionali Partis Aduersæ Num.* 2., & pleniùs *in nostro 2. Summario Additionali num. 2. litt. M., & litt. P.* inde fit vt si eodem contextu quo dictam Tenutam acquisiuerunt Moniales illa fuit ab Archiepiscopo, & Capitulo declarata exempta vtique cessat omnis quæstio.

Non obstat, quod dicta exemptio à solutione Decimarum ex bonis ascendentibus ad summam 25. mil. Merapetinorum concessa ab Archiepiscopo, & Capitulo in limine fundationis sit correspectiua ad diuersa onera per Monasterium adimplenda, quæ onera cum non sint impleta cessare debet d. exemptio.

Etenim respondemus vt Pars Aduersa ostendat, quæ onera fuerunt imposita Monialibus, & non impleta, nam dicta exemptio fuit ab Archiepiscopo, & Capitulo concessa ex lege, vt non possent impetrare exemptionem à Sede Apostolica, & impetrata non vti, eo Pars Aduersa non docet nostras Moniales aliquam exemptionem à Sede Apostolica impetrata, aliud verò quod fuit in dicta concessione expressum, vt scilicèt æstimari deberent bona pro dote Monasterij assignata, & ista æstimatio facta fuit statim, ac dicta Tenuta de Perobequez fuit pro Dote Monasterij assignata, *vt ex Summario Additionali Partis Aduersæ num. 2., & nostro secundo Summ. Additionali pariter num. 2.* Quo vero ad alia Tenimenta postea acquisita,

&

& semper culta expensis ex quibus nunquam soluta fuit Decima ista obseruantia immemorabilis præsumere facit æstimationem aliorum Tenimentorum fuisse factam, & in tantum fuerunt semper habita pro exempta, & semper culta expensis Monasterij in quantum eorum valor non excedebat summam 25. mil. Meropetinorum monetæ currentis de tempore concessionis, pro qua concessa fuit exemptio.

Quare &c.

Vitus Angelus Caualletti.

R. P. D.

FALCONERIO

Toletana Decimarum quoad Tenutam de Perobequez, & Vrtada.

PRO

Ven., & Regio Monasterio Monialium Clausarum Ordinis S. Dominici Ciuitatis Toleti.

CONTRA

Illmum, & Rmum Archiepiscopum, & Capitulum Toletanum, aliosque Decimarum comparticipes.

Responsio Facti quoad Tenutas de Perobequez, & Vrtada

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.